

S P E C I M E N
GLOSSARII VOCABULORUM, AB ORIGINE
GERMANICORUM,
Q U A E
IN LINGUAS RECENTIORES, A LINGUA LATINA ORTAS,
ILLATA ET RECEPTA SUNT. *)

Res magni, ut mihi videtur, momenti in etymologia linguarum recentiorum constituenda et definienda, cui tamen eruditi, praesertim exteri, minus quam justum erat, adtenderunt, et etiam nostrates, aut plane neglexerunt, aut minus accurate tractarunt, est agnitio et consideratio partis, quam in conformatione linguarum plerarumque Europae hodiernae, illarum etiam quae a lingua latina ortae sunt, linguam germanicam habuisse, tot historicis et criticis argumentis constat.

Quae, in primis, sunt causae quae effecerunt et, magna ex parte, adhuc efficiunt, ut apud nationes exteras haec opinio non ita multum valeat, aut saltem non in

*) Quum hanc disputationem etymologicam, eique subjectum specimen glossarii, latinis litteris mandarem, consilium inieram, integrum ejusdem generis opus, omnesque voces germanicas complexurum, quae in linguas recentiores meridianae Europae transierunt, ea lingua conscribendi, cujus filiae illae nuncupantur, et quae viris doctis omnium regionum cognita et familiaris est. Sed re diligentius pensitata, visum est mihi hoc coeptum omittere; intellexeram enim, glossarium hac ratione conscriptum, nullo modo plurimis utile fieri, nec omnino in usum publicum deduci posse. Ita demum consilium meum et totam hanc disquisitionem usui fore existimabam, si in unaquaque illarum, quas dixi, linguarum, lexica et alia opera etymologica ederentur, in quibus, quod hactenus nunquam aut perraro factum est, in primis ratio haberetur linguae germanicae, et simul ostenderetur quantas partes in compositione harum linguarum habuerit: me quoque hoc opusculo, quod nunc primum in lucem profero, satis bene de scientia etymologica meritum esse arbitratus, si mihi ex sententia contingeret, ut curam et diligentiam doctorum exterarum gentium in eam rem converterem, quam ad hoc usque tempus plus aequo neglexerunt.

universum recepta nec ea, qua digna est cura et diligentia, introspecta et perpensa sit: ignorantia scilicet linguae germanicae, et negligentia aut oblivio veritatis, quam tota tamen clamat historia recens, omnes populos qui, post eversum imperium Romanum occidentale, nova eademque ad nostrum usque tempus permanentia regna in ruinis ejus stabiliverunt, stirpis fuisse germanicae; ita ut si recte rem perpendere volumus, a priori, ut vocant, persuasionem habere possimus, in linguis illorum populorum multa vestigia antiquae originis adhuc remanere debere. Et hic, peculiari errore, persaepe fit fraudi minus eruditus, quod amplitudinem Germaniae antiquae, nec diversam nec majorem esse putent quam hodiernae, et non omnes populos, qui imperium Romanum everterunt, et a quibus recentes magnae partis Europae habitatores originem ducunt, nec ipsos quidem Gothos, nominis fuisse Germanici credant. Atqui Germania antiqua, etsi parum accurate, et variis etiam modis fines ejus a veteribus scriptoribus traduntur, majorem procul dubio regionum amplitudinem complectebatur, quam regio haec, quae nostra aetate nomine Germaniae inclarescit; imo, quum intra Rhenum, Danubium et Visulam aut Vistulam flumina, Oceanumque septentrionalem sita esset, verosimile omnino est Germaniam illam antiquam omnes insulas et peninsulas, quae ab Oceano, quem dixi, adluuntur, terminis suis continuisse. E vastis igitur illis regionibus sese effuderunt Gothi, Vandali, Burgundiones, Franci, Angli, Saxones, Heruli, Longobardi illi, qui nobiliora recentis Europae regna instituerunt, et variis insigniti nominibus, communem tamen habebant originem, et unius atque ejusdem erant generis, Germanici nempe.

Quum autem Germania ipsa, post hanc populorum ejus effusionem, eodem fere statu quo antea remansisset; imo quum exceptis terris et tractibus ejus, quae ad orientem vergunt, quaeque cum aliis orientalibus Europae regionibus, post memoriam hominum, in Sclavorum seu Slavorum, ut vocantur, populorum potestate aut fuerunt, aut in eam venerunt, nullis exteris gentibus occupata fuisset, tria omnino linguarum genera, seu tres quasi familiae in Europa recenti extiterunt et adhuc extant. Harum familiarum prima linguas Slavicae originis continet, quales sunt Russica, Polonica, Hungarica, cum variis dialectis; secunda Germanicam et Germanicae filias atque sorores complectitur, Belgicam nempe, Suevicam, Danicam et Anglicam; tertia denique illas includit, quae propter earum originem et modum, quo formatae fuerunt, filiae vocantur linguae latinae, quaeque sunt Italica, Francogallica, Hispanica cum dialecto ejus Lusitanica aut Portugallica. Sed et huic familiae addamus oportet reliquias antiquae linguae Celticae, quae in variis Europae partibus sparsae inveniuntur.

Non nobis in praesentia in animo est de linguis slavicae disserere, in originem

earum inquirere, aut nexum investigare et ostendere, quem cum lingua germanica eas habere verosimile est; quod vero ab initio facere decrevimus, nec vobis injucundum fore arbitrati sumus, in hoc specimine demonstrare conabimur, in formatione illarum linguarum, quae vulgo filiae dicuntur linguae Latinae, id quod minus creditur aut de dubitatur, magnam partem linguam Germanicam habere, vel in ipsis vocibus e quibus illae linguae constant.

Ex illis igitur populis qui, germanicae originis quum essent, in regiones ab ipsis occupatas cum moribus et institutis suis etiam semina suae linguae attulerunt, primi Heruli et Thuringi sub finem saeculi quinti, post Christum natum, non ut alii Barbari qui prius Italiam invaserant, eam tantum pervagati et Romam aliasque civitates populati sunt, sed sedem in illa regione posuerunt; et Oreste filioque ejus Augustulo, quibuscum ipsum nomen imperii Romani occidentalis penitus interiit, altero occiso altero fugato, anno post Ch. n. 476, Odoacer dux gentis victricis regem Italiae vocari se jussit. Sed non fuit diuturna illa Herulorum in Italia dominatio; nam, paucis post annis, et ipsi victi et pulsati fuerunt ab Ostrogothis eorumque rege Theodorico; quibus tunc Italia cessit, et Theodorico regnante, post tot et tantas clades refecta, omnibus pacis artibus floruit. Everso post septuaginta fere annos Ostrogothorum imperio, et in ruinis ejus exorto Exarchatu Imperatorum orientis, Longobardi a Narsete, contumeliam adepti imperii adjectique convicii aegre ferente, in Italiam vocati, totam illius regionis partem superiorem facile occuparunt, sed discordiis domesticis impediti, non ultra Padum fluvium progressi sunt; et quum, duobus post saeculis, impedimentis illis liberati et novis viribus aucti, imperio suo totam Italiam acquirere tentarunt, et jam Exarchatum sibi adjunxerant, ipsi a Francis et Carolo magno victi sunt, et finito regno eorum, nomen tantum Longobardicum in Italia permansit. Hinc Francorum dominatio in illa regione, cujus partem Romanis Pontificibus, a quibus ipsi in eam vocati fuerant, largiti sunt. Sed illi Francorum in Italia dominationi mors Lotharii, Ludovici pii filii et Caroli M. nepotis, finem fecit; et translato non multo post ad Germanos munere imperatorio, cumque eo jure et potestate in Italiam, et exorta inde celebri lite inter summos Pontifices et Imperatores, perpetuus usque ad seculum decimum tertium existit intercursus, Germaniam inter et Italiam, et intimus inde nexus inter annales populorum, qui tum utramque incolebant. Sic factum est, ut ab everso imperio Romano occidentali usque ad tempora fere Dantis poetae, qui sermonem patrium vulgarem, ut vocabant, non ita multum ante ipsum natum et rudem adhuc, primus excoluit parensque ejus vocari dignus fuit, i. e. a fine saeculi quinti usque ad decimum tertium, per octingentos annos, Italia semper Germanis aut subjecta, aut saltem aperta et pervia fuerit.

Galliam, primo ab initio saeculi quinti, Burgundii, Franci et Visigothi, qui et ipsi e Germania oriundi erant, occuparunt et a posterius irruentibus Hunnis tuiti sunt: quo tamen tempore Romani partem illius regionis adhuc tenebant, et usque ad finem ejusdem saeculi tenuerunt, quum a Francis, duce Chlodovaeo, victi et expulsi, reliquam illam partem amiserunt. Tum Franci, in perpetuum sede sua in Gallia posita, eam Franciam vocari causa fuerunt.

Hispaniam, ineunte eodem saeculo quinto, Vandali, germanica gens, primi tenuerunt, qui tamen, paulo post, pulsati a Visigothis, in Africam trajecerunt. Tum nobile Visigothorum imperium ortum est in Hispania inque ea parte Galliae, quae ad meridiem vergit. Hoc primum Gothorum imperium a saeculo quinto usque ad initium octavi, per trecentos fere annos, floruit; quo tempore ab Arabibus deletum est, non adeo tamen ut non aliquot saltem reliquiae ejus superstites essent, quae, quantumvis tenues initio, brevi creverunt, et nova regna evaserunt, quae juxta Arabum potestatem nomen Gothicum in Hispania servarunt, Maurisque demum in Africam rejectis, recentem Hispanorum monarchiam constituerunt.

In illis igitur, quas diximus, regionibus Barbaros, qui eas occuparunt, cum moribus suis etiam linguam retinuisse, et diu ea sola usos fuisse credibile, et naturae rei consentaneum est. Sed quum in iisdem illis regionibus lingua Romanorum in foro, in templis et rebus ad religionem pertinentibus, in omnibus denique negotiis publicis adhiberetur, et sola adhiberi posset; quumque talis esset conditio ejus ut culta et absoluta inter rudes atque barbaras existeret, fieri non potuit, quin eam cum religione et institutis Romanorum novi populi acciperent. Per multa igitur saecula sola aut praecipua fuit lingua procerum, judicum, sacerdotum, scriptorum praesertim. Paulatim vero, in ipsis illis regionibus, vulgo etiam in negotiis suis, tum publicis tum privatis, linguam latinam usurpante linguaeque suae vernaculae admiscente, novum inde sermonis genus exortum est, quod primo nomine *vulgaris* insignitum, mox usu frequentiori et cura hominum excultum, lingua est factum peculiaris populi apud quem initio exortum est. Sic natae sunt lingua italica, francogallica, hispanica et lusitana aut portugallica.

Ex tribus igitur vocabulorum generibus illas linguas constare consentaneum est; ex latinis nempe, quae quum numero sint longo majori, summam quasi et fundamenta earum constituunt; tum e germanicis, quae e vetere et patrio victoris populi sermone in ipsas illata sunt et locum sibi vindicarunt; e celticis denique, quae ex antiquissima lingua primorum incolarum omnium illarum regionum forte restiterunt.*) Accedunt

*) Dignum est notatu, nulla aut pauca vocabula, quae celticae esse originis videri possint, quia nec graeca, nec latina, nec germanica, nec arabica sunt, in lingua italica inveniri; quod

voces arabicae, quas diuturna Arabum in Hispania, aliisque meridionalis Europae regionibus dominatio, in linguam Hispanicam, Provinciale, inque dialectos linguae Italicae, quae in Sicilia et inferiori Italiae parte usurpantur, introduxit.

Ad linguam anglicam quod attinet, peculiari est usa fortuna; nam quum Britannia ea tempestate, qua ab Anglis et Saxonibus occupata fuit, eodem fere fuisset statu, quo caeterae ditionis imperii Romani regiones, quas Barbari armis obtinuerunt, videtur, primo adpectu, linguae Anglicae eandem esse debere naturam quam illarum, quae propter originem et modum, quo compositae et formatae fuerunt, filiae linguae Latinae vocantur. Sed longe fuit alia conditio ejus; nam quum illae gentes, quae Britanniam occuparunt, pulso, magna in parte, aut trucidato qui eam prius incolebat, populo, solae restitissent, Oceanoque a terra continenti seclusae essent, cum institutis suis etiam linguam retinuerunt, quae a principio tota germanica, adscitis fortasse aliquot vocabulis latinis, pluribus certe danicis a Danis, et majori etiam numero normannicis et gallicis a Normannis et regibus ab Andibus Galliae oriundis, evasit postremo lingua illa anglica, qualis hodie est, quae, licet ex tot et tam variis constet elementis, jure tamen filia linguae germanicae et vocari et haberi debet.

Propius nunc ad institutum nostrum accedamus, quod est dare specimen Glossarii vocabulorum germanicorum, quae ut elementa sermonis in confectione linguarum, quae filiae linguae Latinae dicuntur, adhibita sunt. Sed praemittenda sunt hic principia et rationes, quibus nisi, illa vocabula e fonte germanico deducere posse confidimus.

Si in ipsis illis linguis, quas diximus, voci cuivis occurris, cujus originem nec a lingua graeca, nec a latina, nec ab arabica deducere possis, statim quaerendum est tibi, sitne illa e fonte germanico petenda an non sit; et esse petendam, persaepe in omnibus illis linguis invenies; quum vero frustra quaesiveris, tum demum ad originem ignotam recurras oportet, sive illa sit Celtica sive alia quaevis.

Sunt porro leges certae et constantes, quibus fit permutatio antiquorum vocabulorum latinorum in voces recentes cujusque linguae, quae sit filia Latinae. Sic exempli causa, littera *l*, quum eam praecedat consonans et sequatur vocalis, in lingua Italica permutatur, quum in Francogallica et Hispanica, in illa nullam patiatur mutationem, in hac aut eadem maneat, aut in *ll* permutetur; ita ut latina *cl*, *fl*, *gl*, *pl*, si vocalis sequitur, apud Italos fiant *chi*, *fi*, *ghi*, *pi*, et maneat apud Hispanos et Francogallos, aut apud illos *ll* evadant. Hujus rei exempla habemus in: *clavis* — Ital. *chiave*, Hisp.

tamen mirari non debemus, quando quidem credibile est, longam dominationem Romanorum in Italia, cujus incolae per tot saecula, cives Romani facti, sola lingua latina utebantur, omnia vestigia antiqui sermonis celtici abolevisse.

llave, Francogal. *clé*; *clarus* — It. *chiaro*, Hisp. *claro*, Fr. *clair*; *flamma* — It. *fiamma*; Hisp. *flama* aut *llama*; Fr. *flamme*; *flos* — It. *fiore*; Hisp. *flor*; Fr. *fleur*; *glacies* — It. *ghiaccio*; Fr. *glace*; *planta* — It. *pianta*; Hisp. *planta*; Fr. *plante*; *planus* — It. *piano*; Hisp. *llano*; Fr. *plan*; *plenus* — It. *pieno*; Hisp. *lleno*; Fr. *plein*; *pluere* — It. *piovere*; Hisp. *llover*; Fr. *pleuvoir*. Eadem littera *l*, inter duas vocales, ab Italis fere semper mutatur in *gl*, et ab Hispanis persaepe in *j* aut *g* gutturalem, sed eam retinent Francogalli; sic *filius* et *filia* sunt Italis *figlio* et *figlia*, Hispanis *hijo* et *hija*, olim *fijo* et *fija* (litterae *f* et *h* apud eos saepe altera altera permutantur), Francogallis *fils* et *fille*; *folium* — It. *foglia*, Hisp. *hoja*, Fr. *feuille*; *melior* et *melius* — It. *migliore* et *miglio*, Hisp. *mejor*, Fr. *meilleur*; *palea* — It. *paglia*, Hisp. *paja*, Fr. *paille*.

In lingua hispanica vocalis *o* vocabulorum latinorum persaepe, et littera *u*, in iisdem vocibus, aliquando mutatur in diphthongum *ue*: *portus* — *puerto*, *fortis* — *fuerte*, *pons* — *puente*, *sors* — *suerte*, *mordeo* — *muerdo*, *nurus*, *nuera*, *nux* — *nuez*. In eadem lingua litterae *l* et *r* altera altera permutantur; sic vocabulum hispanicum *lirio* a latino *lilium* (quod ipsum a graeco *λίλιον*) *peligro*, vero, *peligroso*, *peligrar* et *milagro*, *milagroso* a latinis *periculum*, *periculosus*, *periclitari*, *miraculum*, deducenda sunt; quin etiam celeberrima illa urbs Africae, quam omnes recentiores cum Francogallis *Alger* (*Algerium*) vocant, ipsis Hispanis est *Argel*.*)

Si autem ostendere valemus, has et alias leges, quas in litterarum permutatione observatas videmus, eandemque analogiam in illis vocabulis obtinere, quae a lingua germanica eae linguae, quas diximus, mutuatae sunt, non solum unusquisque videbit et facile concedet, illa, de quibus quaeritur, vocabula, revera germanica esse, verum etiam methodum habebimus, qua omnes voces, quarum origo non est ignota, e suo fonte deducere poterimus.

*) Hae et aliae certae leges, quibus fit immutatio vocabulorum in illis, quas supra diximus, linguis, solae in hac etymologica disquisitione consulendae sunt; minime vero, aut magni faciendae leves quaedam similitudines inter vocabula variarum linguarum, si nullo alio freti argumento in etymis investigandis originem vocum indicare non veremur, aut offensio ex eo suscipienda, quod plane diversa, nec ullo nexu aut vinculo juncta multa videantur vocabula, quorum alterum ab altero originem ducere contendimus, si illae leges servantur. Nec singulatim et disjunctim eae linguae, de quibus nunc agitur, sed ut nexae et junctae sunt, spectandae et considerandae, et uniuscujusque cum aliis comparatio instituenda est. Sic certa et constanti ratione nitetur doctrina etymologica, nec mera conjecturalis erit et in periculum incidet, vanas imagines et inanes conjectationes pro veritate consecrandi. Vocabulum gallicum *jour*, exempli gratia, a latino *diurnum* derivari, mirum videri potest; ei tamen mirandum non erit, nec res in dubitationem vocabitur, qui in usu linguae italicae exercitus, cogitet, et vocem *giorno* (syllaba *gi* in vocabulis illius linguae saepe cum *di* permutatur, ut *diacinto* et *giacinto*, et vocalis *u* in *o* abire solet) ab eodem fonte deducendam esse. Sed et concedere debemus, et facile concedemus, gallicum *evêque*, italicum *vescovo*, hispanicum *obispo*, germanicum *Bischoff* et anglicum *bishop*, quantumvis differre videantur, unum idemque esse vocabulum, et communem habere originem.

ABENTHEUER vel **EBENTHEUER**. Ausum virile, inde narratio propter incredibiles ausus, oblectationis gratia confictos, maximam partem fabulosa, et ultimo quo accipitur sensu, casus, fortuna, periculum. Secundum *Wachterum* (in glossario germanico) compositum est hoc vocabulum a voce gothica *aba* in acc. *aban*, dat. et abl. *abin*, quae virum sonat, et vetere germanico, *theur* aut *deur* strenuus. Verosimillimum est illam vocem originem dedisse barbaro-latino vocabulo *aventura*, quod Scriptores mediae et infimae latinitatis, ut *Cangius* docet, primi usurparunt; et inde facta esse Italicum *aventura*, hispanicum *aventura*, gallicum *aventure* et anglicum *adventure*. Idem sensit *Besoldus* de linguarum immutatione; *Cangius* tamen, a latino *eventus*, *eventura*, vocis etymon accessendum putat.

BAND fascia. Persis *bend*, Gothis *bandi*, Anglis *bend*, Francis *bant* et *pant*; ad *binden*, referendum est. Hinc primum Romani infimi aevi *bandum*, quod est vexillum, mutuati sunt, ut testantur scriptores graeci ejusdem aevi. *Procopius*, de *Bello Vandal.* 2. 1.: τὸ σημεῖον, ὃ δὴ βάνδρον καλεῖσι Ῥωμαῖοι. *Suidas* in voce βάνδρον: ἴτω καλεῖσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον, τὸ ἐν πολέμῳ. Confer *Cangium*. Inde postea Italis *banda*, *benda*, *bendare*, Hispanis *banda*, et Gallis *bande*, *bandage*, *bandelette* aliaque, et fortasse etiam *ruban*, sicut Anglicum *a ribbon*.

BANK. Antiquis Germanis *tumulus*, *cumulus*, unde et *Sand-bank*, a quo transfertur ad omnia sedilia eminentia. Inde primo Graecis infimis πέργκος et Latino-Barbaris *bancus*, et postea Italis et Hispanis *banco*, Gallis *banc* et Anglis *bench*, et aliae voces, quae ex illis natae sunt, ut italicum *banchetto*, *banchettare*, hispanicum *banquete* et Gallicum *banquet*, *banqueter*.

BANN. Summus aut summitas, tum dominus, et inde coactio, jussum, jurisdictio, edictum, interdictum domini vel imperantis. Hinc verbum *bannen* et vox substantiva *bannier* aut *pannier*, quod est vexillum et dedit *banner* aut *panner-herr*. Illa vox frequenter occurrit in scriptoribus latinis aevi infimi, qui, teste *Cangio*, habent *bannum* et *bannire*. Recentes omnes receperunt, sed Itali et Hispani literam *d* inserunt et habent: *bando*, *bandire*, *bandimento*, *banditore*, *bandiera*, Ital. *banda*, *bando*, *bandido*, *bandeur*, *bandera*. Hisp. Francogalli sine ulla permutatione dicunt: *ban*, *bannir*, *bannal*, *banlieue*, *bannière*, *banneret*, *Seigneur-Banneret*.

- BAR.** E variis sensibus, quos illa vox apud antiquos Germanos habebat, duos in primis seligimus. A *baeren* ferre aut tollere deducta, feretrum sonat, unde Gallis *une bière* et Anglis *a bier*.
- BAR.** Etiam virum denotat, et inde virum, inter alios praecipuum, opibus aut auctoritate insignem. Hinc *Barones* apud Barbaro-Latinos et omnes populos recentes. Hinc etiam, ut puto, duplex sensus vocis *barone* apud Italos, quae nobilem et nebulonem significat. Hispani, praeter vocabulum *baron*, eo sensu, quo et alii recentiores utuntur, habent *varon* (memor sis in eorum lingua litteram *v* cum *b* saepe permutari) quod et virum, oppositum foeminae, et virum aut arte aliqua, aut doctrina, aut virtute insignem, denotat.
- BEUTE.** Praeda. A verbo *beiten* aut *weiden* (obvia permutatione litterarum *b* et *w* et *t* et *d*) quod, ut docet Wachterus, rapere antiquitus significabat. Haec vox apud Barbaro-Latinos non apparet, sed pervenit ad recentes; est enim Italus *il bottino*, Hispanis *el botin*, Gallis *le butin*, Anglis *the booty*.
- BLANK.** Fulgens, a verbo *blinken*, fulgere, et inde facili decursu albus aut candidus. Non fuit haec vox ignota scriptoribus infimae latinitatis. Vid. *Cangii* Glossarium. Itali inde mutuati sunt suum *bianco*, Hispani *blanco* et Francogalli *blanc*.
- BLAT** vel **BLAD.** Folium; idem fortasse quod *platt*. Apud Barbaro-Latinos occurrit *bladum*, quod pro tritico usurpari, et pro farre omnis generis, quod adhuc in herba est, et ante messem, interdum poni, testis est *Cangius* in Glossario. Hinc Itali solita permutatione litterae *l* in *i*, fecerunt *biada*; Francogalli, quum more suo hanc litteram *l* retineant, habent *blé*. Anglicum *blade*, lamina, inde quoque arcessendum puto.
- BLOND.** *Flavus*. A verbo *blühen* florescere deducit Octavius Ferrarius in Originibus linguae Italicae, recte, ut mihi videtur; nam Participium *blühend* aut *blüend*; facili contractione, fit *blund* aut *blond*. Barbaro-Latini hanc vocem agnoscunt; nam Charta antiqua, a Spellmanno laudata, habet Wilhelmum *blundum* pro Wilhelmo *rufo*, Angliae rege. Obvium est ex ea formatum esse italicum *biondo* et gallicum *blond*. Hispani non habent; dicunt enim *rubio*, de crine flavo quum loquuntur, et quod habent *blondo* recentissimum et a Gallis invectum est.
- BURG.** Vox certe germanica et antiquissima, quae congregationem domorum denotabat. Latinum *burgum* inde deducendum esse dubitari non potest; quamquam *Vegetio* lib. 4. *burgum* est parvulum castellum, et in glossis *burgus* idem est quam turris, *πύργος*. Nam nihil obstat, quin scriptor saeculi quarti et auctores

glossarum hanc vocem a Germanis, non conscii sibi e quo fonte haurirent, mutuati sint. Illa tamen auctoritate deceptus *Casaubonus* ad Strabonem, cui concinnunt alii viri docti, ratione historica neglecta, *burgum* a $\beta\beta\gamma\omega\varsigma$, quod Macedonica dialecto est $\pi\acute{\upsilon}\beta\gamma\omega\varsigma$, arcessendum putat. Primum vestigium illius vocis in nomine celebris gentis Germaniae, *Burgundii* aut *Burgundiones* invenitur, quae ripas Rheni insedit, et inde in Galliam transgressa est. Frequentissimus ejus est usus in nominibus civitatum in *burg* desinentium. Postremo vero in linguas recentes illata est, et Italis est *borgo*, *borgnese*, Hispanis *burgo* et *burges*, Francogallis *bourg* et *bourgeois*.

BUSCH. Silva. *Cangius* habet *Boscum*; Itali *bosco* antiquitus *boscho*; Hispani *bosque* et Francogalli *bois* et *bosquet*.

BUTTE. Vasis genus, dolium, cadus, lagena major. Latino-Barbaros illam vocem habuisse, et eodem sensu usurpasse, testis est *Cangius* in Glossario, voce *Butta*. Itali inde fecerunt *la botte*, quod idem significat, et diminutivum habet *bottiglia*, Hispanis *botella*, et Gallis *bouteille*. Voces sequentes, italicam *bottega*, hispanicas *bodega* et *botica*, et gallicam *boutique*, ex eodem fonte deducendas esse verosimillimum fit. Immerito igitur *Cangius* impugnat *Cobarruviam*, vocem hispanicam *bodega* a barbaro-latino *butta* arcessentem, quod merces in buttis servantur; et ipse, sine dubio, fallitur, quum a voce *apotheca* deducit, quae vox Hispanis et Italis omnino ignota est.

DACHS. Bestiae genus, Latinis meles, a *decken* tegere, unde et *dach* tectum deducendum putant, quod in cavis degens se tegat. Ut ut est, inde certe, consueta permutatione litterarum *d* et *t*, factum est Italis *tasso*, Hispanis *tejo* vel *tevo*, et Francogallis *taisson*, qui habent et vulgatius *blaireau*.

FALK. Accipitris genus, avis peculiaris regionibus septentrionalibus, et antiquitus in Germania communis. Non vetus autem esse hoc vocabulum observat *Vossius* II. 12. Nam primus apud quem inveniatur est *Jul. Firmicus*. Habet et *Festus* et apud Suidam legitur $\varphi\acute{\alpha}\lambda\kappa\omega\nu$. Latino-Barbaris commune factum est, unde ad recentes omnes pervenit. Italis est *falcone*, Hispanis *halcon*, solita permutatione litterae *f* in *h*, et Francogallis *faucon*.

FLANKE. Latus. Italis inde *fianco*. Hispanis *flanco* et Francogallis *flanc*.

FLASCHE aut **FLAESCHE** lagena, olim etiam uter, amphora, et quodlibet vas condendis liquidis accommodum. Apud Latino-Barbaros frequenter, eodem sensu, *flasca* et *flasco* inveniuntur, et inde deducta esse italicum *fiasco*, Hispanicum *flasco* aut *frasco*, et Francogallicum *flacon*, manifestum est.

- FLIESSEN.** Fluere, etiam natate, in aqua, vel supra eam labi; in praeterito *floss*, unde, solita permutatione litterarum *flott* aut *flotte*, classis; vox germanica perantiqua, quae Latino-Barbaris dedit *flottam*, Italis *flotta*, Hispanis *flota* Francogallis *flotte* et Anglis *fleet*.
- FORST.** Nemus, saltus, idem quod *horst*, mutato *f* in *h*, (quae litterarum permutatio, in Hispania communis, fortasse a Gothis introducta est). Latino-Barbaris inde *foresta*, Italis recentibus *foresta*, Hispanis *floresta*, et Francogallis *forêt* i. e. *forest*.
- FRANK.** Liber, suae potestatis. Vox germanica antiquissima, cujus primum vestigium in nomine gentis, quae Franci dicebantur, invenitur, unde nomina propria *Francia* et *Franciscus*. In linguis recentibus multa sunt vocabula, quae ex antiqua illa voce germanica originem trahunt, et ad primigenium ejus sensum referri possunt. Sic Itali habent *franco*, *francamente*, *franchezza*, *franchigia*; Hispani *franco*, *francamente*, *franquear*, *franqueza*, *franquicia*; Francogalli *franc*, *franchement*, *franchir*, *franchise*, *affranchir*.
- FRISCH.** Refrigerans et recens. Duplici eo sensu apud Barbaro-Latinos occurrunt *frescus*, *friscus*, *frescum*; et Italis Hispanisque est *fresco*, et Francogallis *frais*, *fraicheur*, *fraichir*; quibus est et *friche*, quod olim scribebatur *frische* et *fresche*, et de terris recentibus incultisque usurpatur; unde et gallicum *de-fricher*. Confer *Cangii* Glossarium.
- GEL.** Flavus, fulvus, luteus. Hodie utuntur Suevi, quos Lutherus in versione sacra imitatus est, dum reliqui Germani dicunt *gelb*. Inde certe italicum *giallo*, et ex eo gallicum *jaune*, deducendum est. Ad Hispanos non pervenit hoc vocabulum; dicunt enim *amarillo*.
- GREIS.** Canus et inde senex, senilis. Ad *grau* referendum, quod idem fere significat. Apud solos Francogallos occurrit, qui habent *gris*, *grison* et alia. Nec Itali, nec Hispani illam vocem agnoscunt.
- GROSS.** Et magnum, parvo brevique oppositum, et crassum tenui ac subtili oppositum, significat. Barbaro-Latini habent *grossus*, quod, teste *Cangio*, ad ingenium et mores transferebatur, et rude incultumque significabat. Duplici, quem diximus, sensu, in linguis recentibus omnibus occurrit; sunt enim *grosso* et *grossolano* apud Italos; *grueso* et *grosero* apud Hispanos; *gros* et *grossier* apud Francogallos.
- HACKEN.** Caedere secando vel dividendo. Hispanicum *hacha* et gallicum *hache*, *hacher*, et alia, e fonte hoc germanico deducenda esse videntur. Itali non agnoscunt.

HALL. Lapis, calculus, silex. Latino-Barbaris est *hallus*, et Gallis *caillou*. In lege Salica haec occurrunt: *Si vero (interfectum) in puteum aut sub aquam miserit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit*, ubi Eccardus *hallos* recte interpretatur silices, calculos. Inde *Hall*, domus vel mansio, Latino-Barbaris *halla*, quod *Cangius* interpretatur locum contectum *hallis* i. e. ramalibus siecis; sed *halli*, ut vidimus, sunt lapides. Ut ut est, vocem gallicam *halle* unam eandemque esse facile apparet. Nec Itali nec Hispani habent. Anglis est *hall*.

HALTEN. Sistere, moram injicere. Inde Itali *fare alto*, et Francogalli *une halte, faire halte*.

HARFE aut **HARPFÉ** instrumentum lyricum, fidibus tensum, quod peculiare erat antiquis Bardis regionum septentrionalium, sed veteribus Graecis et Romanis omnino ignotum, quod Fortunatus hoc versu testatur:

Romanusque lyra plaudet tibi Barbarus *harpa*.

Idem in praefatione carminum: *Solu saepe bombicans Barbaros leudos harpa relidebat*. Omnes linguae recentiores hanc vocem agnoscunt: Itali et Hispani habent *arpa*, Francogalli *harpe*, Angli *harp* et cognatum *harpsicord*.

Recentiores omnes regem Davidem et pingunt, et in variis operibus inducunt *harpa* canentem. Attamen, ut diximus, hoc fidium genus, et Graecis et Romanis, et populis Orientis omnino ignotum fuisse videtur. Hebraei vocabant כנרת (quod septuaginta interpr. vertunt *αρθρα, αρβρα* et vulg. cithara) organum illud, quod David pulsabat.

HARNISCH. *Gravis armatura*, inquit Wachterus, *tota ex ferro vel chalybe, et totum saepe hominem tegens, cujus partes praecipuae sunt lorica, quae pectoris, galea, quae capitis, et ocreae, quae crurum sunt munimenta*. Vox vere germanica, unde Italis *arnese*, Gallis *harnois, enharnaché* aliaque, Hispanis *arnes*, Anglis *harness*.

HAST. Festinatio, et *hasten* festinare. Inde gallicum *hâte et hâter*, i. e. *haste et haster*. Non habent Itali nec Hispani.

HELM. Primus sensus idemque antiquissimus hujus vocis, ut monet Wachterus, est tectum; secundus vero galea, quod est tectum capitis. Ultimo eo sensu, qui solus restitit, apud Barbaro-Latinos occurrit in voce *helmus*, ex qua in omnes linguas recentiores transgressa est. Italis nempe est *elmo* et *elmetto*, Hispanis *yelmo*, Francogallis *heaume* et *helmet*. *Ferrarius* et *Menagius* agnoscunt originem germanicum hujus vocis.

HERBERGE. Castra, tentorium, tugurium pastoris, postremo quodvis diversorium, ab *Her* exercitus et *bergen* recipere. Barbaro-Latini apud *Cangium* habent *here-*

berga, herebergium, herebergare, item aribergare et albergare. Inde italicum *albergo* et *albergare*, hispanicum *albergue* et *albergar*, et gallicum *auberger*. Propiores etymo, forma litterarum, non tamen sensu, sunt voces gallicae *héberge* et *héberger*.

- LASS** remissus, piger, ignavus a *lassen* cunctari, remittere. Inde solis Gallis *lâche, lâchement, lâcher, lâcheté*, quae olim *lasche, lascher* etc. scribebantur.
- LASSEN.** Relinquere, permittere, remittere. Inde italicum *lasciare* et Francogallicum *laisser*. Hispani non habent, eodum sensu enim utuntur solo verbo, *dejar*.
- MAN.** Homo, postea vir, et postremo vir fortis et strenuus. Vox antiquissima, et apud omnes populos Germaniae usitata. Multa ejus vestigia in linguis recentioribus extant, praesertim in *Germanis, Normannis* aliisque nominibus propriis.
- MANIG** contracte, *Manch*, multus; *Manige*, contr. *Manche*, multi, plures. Sine dubio a *Man* homo. Anglis inde, eodem sensu, *many*, sic ut Francogallis *maint, maints*, quod olim *mainct, maincts*.
- MAST.** Malus navis. Francogalli, qui fortasse a Normannis accepere, habent *mât* i. e. *mast*. Nec Itali nec Hispani agnoscunt.
- NORD, NORT, NORTH.** Septentrio, plaga coeli septentrionalis, et regio telluris illi subjecta. Latino Barbari apud Cangium habent *Northus*, omnesque populi recentiores accepere. Italis et Hispanis est *norte*, Francogallis *Nord*.
- OST** vel **OSTEN.** Oriens. Francogallis dedit *est* et Anglis *east*. Hispani in sermone nautico habent *este*; Itali non agnoscunt.
- PLAT.** Planus. Inde sine dubio Italis *piatto*, Hispanis *plato* et Francogallis *plat*, dum iidem ex latino planus fecerunt *piano, pianura, llano, llanura, plan plaine* aliaque.
- PLATS** aut **PLATZ.** Area, forum, a superiori *plat*, planus. Ab hac voce, et non a latino *platea*, deducenda esse italicum *piazza*, hisp. *plaza* et gallicum *place*, nemo non concedet.
- RATTE. RATZE.** Mus domesticus major, glis, sorex. Vox mere germanica, omnibus illius regionis populis usitata. A *reissen*, rapere, deducit *Wachterus*. Latino-Barbaris apud Cangium sunt *ratus, rattus* et *ratturus*; inde Italis *ratto*, Hispanis *raton*, et Francogallis *rat*.
- RAUBEN.** Rapere, vi capere, cujus species sunt *praedari, spoliare, furari*. Vox antiquissima, a Celtis et Scythis, ut observat *Wachterus*, longe lateque disseminata; nam et Persis *rubaden* est rapere. Omnia celtica et germanica idioma agnoscunt. At quaecunque est hujus vocis origo, unumquemque facile con-

cessurum puto, italicum *rubare*, hispanicum *robar*, *robo*, et gallicum *dérober*, ab illa deducenda esse; quamvis *Octavius Ferrarius*, in Originibus linguae Italicæ, effectum accipiendo pro causa, contendat vocem italicam et germanicam a *roba*, res, facultas, formatas esse, quia *rubare* nihil aliud est, quam opes furto facere.

REICH. Potens, valens, inde dives i. e. potens divitiis. In omnibus invenitur germanicis idiomatibus, et inde in linguas recentiores omnes illatum est. Frequentissima, eademque antiquissima vestigia hujus vocis in nominibus propriis *Alaricus*, *Athalaricus*, *Fridericus*, *Henricus* aliisque deprehendimus. Originem vocis italicæ *ricco*, hispanicæ *rico*, et gallicæ *riche*, ex illo fonte petendam esse, nemo non videt.

REIM. Numerus, et inde metrum, certo numero syllabarum constans, similesque habens exitus. Barbaricam hanc versuum constructionem, quæ antiquis omnino ignota, a populis recentibus omnibus recepta fuit, nomen suum dedisse atque propagasse, consentaneum est. Habent igitur Itali et Hispani suum *rima*, et Francogalli *rime*, *rimer*, aliaque.

ROSS. Equus. Hanc vocem a Francis proseminatam fuisse monet Wachterus. Italis inde vocabula *rozza*, et *ronzino*, Hispanis *rocin*, et Francogallis *rosse* et *roussin*. Anglis per metathesin litterarum est *horse*, quod in Anglosaxonum lingua celerem denotasse, conjectat Wachterus. Eo referendum est nomen ducis Anglosaxonum *Horsa*.

ROST. Crates, et inde *roesten*, super craticula torrere. Itali suum *arrosto* et *arrostore*, itemque Francogalli *rôt* et *rôtir*, quod est *rost* et *rostir*, inde formarunt, fatente ipso Menagio. At Hispani hanc vocem non agnoscunt, et suum *asar* a Latinis mutuati sunt.

SCHALK. Servus, a suprema ad infimam conditionem. Sed non semper servilem significationem habuisse, et simpliciter ministrum quemvis denotasse, jam monet Wachterus, et ostendunt nomina propria, *Godiscilcus* i. e. minister bonus, Rex Vandalorum apud Procopium, item *Gotschalk*, eodem sensu, *Adelschalk*, nobilis minister. Latino-Barbaris *scalcus* et Italis *scalco* et *siniscalco*, quod Francogallis est *sénéchal*. Idem habent, aliisque dederunt vocem *Maréchal*, quod, ut valde est notum, initio servum equorum denotabat, a *maere* equus et *schalk* servus. Altera vox gallica, *maréchal ferrand* i. e. faber ferrarius veterinarius, equis curandis, eo sensu, quo semper in usu fuit, et adhuc est, clarius etymon suum indicat.

SCHARF aut **SCHARP**. Acutus. Anglis sharp. Ab ea voce deducenda puto italica *scarpa*, *scarpellare*, *scarpellatore*, *scarpellino*, hispanica *escarpa* et *escarpado*, et gallica *escarpe*, *escarpé*, *contre-escarpe*.

SCHAUM. Spuma. Sunt, qui a squama deducunt. Wachterus in ipsa *spuma* vocis etymon quaerit, sed ut multis persuadeat vereor. Ego vocabulum germanicum esse credo, sic ut *faum* (unde angl. *foam* quod idem significat; nam Itali, qui et *spuma* agnoscunt, quae vox est mere latina, habent *schiuma*, *schiumare*, *schiumoso*, quum Hispani nonnisi *espuma* habeant, solos latinos secuti. Francogalli vero ab Italico *schiuma*, ut manifestum est, formarunt suum *écume*, quod prius erat *escume*.

SCHERZ. Jocus. Inde solis Italici *scherzo* et *scherzare*.

SCHIRM. Defensio, tutela. Itali, fatente Ferrario, ex illo fonte suum *schermo* et *schermire* petierunt, unde Hispani formarunt *esgrima* et *esgrimir*, et Franco-galli *escrime* et *escrimer*.

SPADE aut **SPATHE**. Spatha. i. e. gladius longus, ab utraque parte acutus; item *ligo*, a verbo *spaden*, quod fodere sonat, et tam ad gladium quam ad ligonen referri potest. Livius, Tacitus et Vegetius habent *spathas*, et Diodorus Siculus, lib. 5 de Gallis sermonem instituens, dicit: ἀντι δὲ τοῦ ζιφουὺς σπάθας ἔχουσι μακρὰς σιδηρᾶς. Vulgo hanc vocem a graeco *σπάθη*, quod a *σπάω*, deducunt. Ego vero mihi persuadere non possum, quin ea vox germanicae aut celticae sit originis. Cluverius in Germania antiqua, *spathas* esse gladii genus, Gallis Germanisque peculiare, jam docet. Dein, veteres scriptores, et graeci et latini, quum gladios *spathas* vocant, de solis Gallis aut Germanis, aliisque Barbaris loquuntur. Quum autem sit certum, *spatham* illis populis peculiarem fuisse, verosimile fit eos rei, cujus auctores fuerunt, etiam nomen dedisse; et si contendimus a Romanis mutuatos fuisse, cur illud graecum *σπάθη* et non potius latinum *ensem* vel *gladium* quaesiverunt? aut si graecum maluissent, cur non usitatius *ζιφος*? Verum, ut ut est, negari saltem non potest, quin a voce *spatha* aut potius *spade* deducenda sint, italicum *spada*, hispanicum *espada*, et gallica *épée*, quod prius erat *espée*, et *espaddon*.

SPAREN. Condere, reponere, parcere, parta tueri. In Gloss. Pezro. *gispare* reponat, *gisparet* werden reservari. Verba italica *sparagnare* et usitatius *risparmiare*, originem ab illo vocabulo trahere videntur; ab eorum primo formatum et franco-gallicum, *épargner*, quod prius erat *espargner*.

SPEL-

- SPELLEN.** Vocem in literas et syllabas dividere, alias *buchstabieren*. Francogallis solis *épeler*, prius *espeler*. et Anglis *to spell*.
- SPORN.** Calcar. Obvia et facili ratione ab illa voce deducitur italicum *sperone*, quod nunc est *sprone*; et inde solita praescriptione vocalis *e* ante litteram *s*, quam sequitur consonans, gallicum *épéron*, quod prius erat *esperon*. Attamen *Ferrarius*, cui concinnit *Wachterus*, et vocem italicam et germanicam a *spola*, instrumento textorio, arcessere mavult; quod tamen, si verum est etymon, melius ad solum hispanicum *espuela* referri et posse et debere videtur. Sed et hoc ipsum vocabulum *espuela*, et cognatum *espolon*, a voce *Sporn* derivanda esse, facile concedent ii, quibus notus Hispanorum triplex mos, et vocalem *e* illis vocabulis praefigendi, quae a littera *s*. seq. cons. incipiunt, et convertendi vocalem *o* in diphthongum *ue*, et permutandi, alteram altera, litteras *r* et *l*.
- SPRITZEN** aut **SPRUETZEN.** Italis inde *spruzzare* et *sprizzare*.
- STRAL.** Omne quod ferit, igitur sagitta, fulgur, radius. Itali hanc vocem receperunt, et, sensu et forma incorruptam, servarunt in *strale*.
- SUD.** Plaga coeli meridionalis et regio ei subjecta. Eodem sensu utuntur Itali, Hispani et Francogalli.
- TANZEN.** Tripudiare, saltare. A Celtis profectum credit *Wachterus*. Italis *danzare*, Hispanis *danzar*, Francogallis *danser*.
- TASCHE.** Sacculus in quo aliquid conditur, sive marsupium ille sit, sive pera, aut simile quid. Italis inde *tasca*, quod prius *tascha*.
- WART** custos, tutor. *Warte*, custodia, excubiae. *Warten* exspectare, custodire. Hinc, solita et constanti permutatione *W* germanici in *g* aut *gu*, apud recentiores populos Europae meridionalis, italicum *guardare*, hispanicum *guardar* et gallicum *garde*, *garder*. Angli teutonicum *w* retinent in suo *ward*.
- WAND,** pannus et (materia pro forma) vestimentum. Inde supra indicata permutatione *toŭ*. *W* in *g* et *gu*, italicum *quanto*, hispanicum *guante*, et francogallicum *gant*, *gantelet*, quasi vestimentum manus et digitorum.
- WANG.** Gena, maxilla. Inde eadem permutationis litterarum ratione, italicum *guancia*.
- WASEN** idem quod *Rasen*, caespes. Francogallis dedit *gazon*. Nec Itali nec Hispani habent; a Latinis enim suum *cespite* et *césped* mutuati sunt.
- WER.** Quis, vir, defensio, arma, instrumenta et locus defensionis; inde *Weren* defendere. Antiquissimum et nobile vestigium in nomine *Germanorum*, i. e. viro-
rum fortium, ad defensionem et offensionem paratorum; quam denominationem, iis ob fortitudinem a vicinis, ut dicunt, datam, gens bellicosa lubenter accepit et

retinuit. Eadem vox a populis germanicae originis qui imperium Romanum everterunt, per totam disseminata est Europam, apud omnes recentiores bellum denotans. Est enim Italis et Hispanis *guerra*, Francogallis *guerre*, et Anglis, qui more suo germanicum *w* retinent, *war*.

WINDFN. Quod ad *wenden* referendum, vertere, flectere, volvere, vincire, volvendo adtollere. Hinc hispanicum *guinda* et *guindar*, et francogallicum *guinde* et *guinder*. Itali non agnoscunt.

WINNEN lucrari, quaestum facere ex quacunque re, item vincere, hodie *gewinnen*, in praeterito *wan*, quod Italis dedit *guadagnare*, Hispanis *ganar*, et Francogallis *gagner* et *gain*.

F r a n c e s o n .